




Ditio Trans-Isulana.

<https://hdl.handle.net/1874/348682>



**NOTULARUM
EXPLICATIO**

Vires Stada
 Pagi Dripen
 Arces Kastele
 Carolia Kloysters
 Vicinie Burchen
 Fortalia Schanjen

**DIITIO
TRANS-ISULANA**

Militaria Germanica Communia

VIII Bf 5

DK 38-6

TRANSISALANIA.

hitur, ob quam rem, hic Senatui perpetua & solennis sedes est, à cuius sententiis nulla datur ulterior provocatio, at limitata est tamen aliquatenus ejus auctoritas: nec sententias unquam pronuntiat, nisi coram adit Provinciae Gubernator, qui propterea ut plurimum commorari solet, et si Frisia quoque ac Groningae praefectus sit. Quae gubernandi ratio quidem valuit tempore quo Hispanus floruit, at nunc aliam faciem provinciae bello distractis, induerunt.

Stenovicum Stenovicum ad sidet anni Bloctilae in lacum Flevis influenti, Meppela leuca duntaxat spatio distat.

Hassleletum Hassleletum adjacet flumini Vidro, duabus leucis ab Vollenhovia, estque oppulentum imprimis & lautum oppidulum.

Ormarfia Ormarfia trium leucarum spatio distat Almelo, estque oppidum valde antiquum & juxta Trithemium ab Odemaro Francorum Rege, cujus & nomen gerit exstructum, idque ad tumulum ipsum Vechrani, magni & familiaris ejus amici.

Oldesalia Oldesalia leuca nimirum itinere distat Ormarfia, suntque haec omnia oppida sane quam mediocria. Nunc occurrunt decem illa loca primaria paulo ante nobis enumerata, ex quibus prima statim profurgit.

Meppela Meppela, sita ad rivulum quendam ignobilem, Covordia quatuor leucis abjuncta.

Geelmuda Geelmuda ad ostium fluminis Vidri est, medio inter Vollenhoviam & Hassleletum itinere, à quo utroque pari unius leuae intercapedine distat. Est autem mu-

nita & pulchra fatis arce conspicua, in qua perpetuus praefidiarius miles est.

Covordia leuca spatio abest ab Hardemberga. *Covordia.*

Hardemberga adjacet flumini Vidro. *Hardemberga.*

Omnia distat Hardemberga duabus minoribus leucis & ad eundem Vidrum posita. *Omnia Almelo.*

Almelo sita est ad torrentem ignobilem qui in Vidrum se exonerat, distat autem Gora duabus leucis. *Gora.*

Gora quoque ad Vidrum est, Diepenhemio leuca duntaxat abjuncta. *Diepenhemium.*

Diepenhemium Delda duabus leucis abest. *Delda.*

Delda sesquileuca itinere distat Enschedam. *Enschedam.*

Enschedam leuca spatio Oldesalia distat. *Populi in- dices.*

Populi hujus ditionis, ut sunt inter Geldros & Frisios medii, ita ingenium quoque & mores utriusque illius gentis participant. *Hujus regni olim statu.*

Fuit olim haec terra in ditione Praefulum Ultrajectensium, verum Henricus Bavarus Praefulum, in eadem plane de causis, ob quas anno 1527. seculare, ut vocant diaecesios suae imperium Carolo V. Imperatori cessit, etiam hujus territorii jura in Caesarem transtulit: Quare & filius ejus Philippus anno 1549. susceptus est & juratus in futurum terrae Transisalanæ Dynastam. Hodie magna ex parte Hollandici Ordines eam possident & tueruntur.

Habet Transisalaniam praeter Isalam, Vidrum & alia minora flumina; habet & amena & utilia nemora, quamvis exigua & sine nominibus. *Flumina, Silva.*



TRANSISALANIA.

Nominis ratio.



Ominium terrae TRANSISALANAE nomen habet ab Isala flumine, ultra quod ipsū est positum. Intuetur autem versus Aquilonem partem illam Occidentalem quam Frisiam vocant, & partim Dominum Groningē; à Meridie Geldriam habet, vel potius Comitatum

Zurphaniensem; ab Ortu Westphaliam; ab Occasu denique Isalam flumen & sinum seu lacum Flevis, vulgo de Zyderzee. Dividitur haec regio in tria luculentia cum primis membra, *Salandiam* nempe, *Drentam* atque *Tubantiam*. Solum ejus omnino est planum, & cum aliarum frugum, tum & optimi tritici admodum ferax. Habet fluvium Vidrum cum minoribus aliquot rivulis, tum per amenas quasdam & utiles silvas etiam exiguas nec certis vocabulis distinctas, venationes & alia commoda non inamena praebentes. Octo in ea numerantur oppida muris clausa, inter quae sunt Daventria, Swolla, Campae, Vollenhovia, Stenovicum, Hassleletum, Ormarfia & Oldesalia. Sunt praeterea decem primaria loca, amplissimis privilegiis praedita: Meppela, Gelmuda, Covordia, Hardemberga, Omnia, Almelo, Gora, Diepenhemium, Delda & Enscheda. Denique amplius centum turritis vestitur pagis. Ordines hujus Domini constant duobus membris, praefectis nimirum & viris nobilibus ac primariis urbibus, inter quas extollit omnium prima caput Daventria, de qua igitur primo loco & deinceps de aliis agemus.

Soli bonitas

Fluvii.

Civitates oppida.

Daventria.

DAVENTRIA sita est ad ripam dexteram Isalae fluvii, Swolla quatuor leucis abjuncta. Opidum situ praevaleudum humanaque industria mirifice communitum, praecipue vero insigni muro circumdatum, pulchri & eximii operis porta (quam vulgo vocant *de Brinckpoort*) conspicuum, ubi aquila Civitatis Insigne suis alis ambit ex concessione Ottonis III Imperatoris, cum hac inscriptione visitur lapidi incisa:

*Dat nobis aquilam Romania insignia Caesar,
Iuraque nostra sub his inviolata manent.
Vtriusque columnae eminent. Fortuna, dextro latere, appo-
sita cum hisce versibus.*

*Me Duce Castorum gens seditione coorta
Haec patriam fugiens, arva in arata subit;
Atque meo Daventuram de nomine dictum,
Plus mihi ante annos menia parva locat.
Sinistro latere haec se pandunt:*

*Addidi ego hoc urbi vallum furialis Eryx,
Quod secuta suis hostibus objiceret,
Tu belli esse memor debes in tempore pacis,
Nequa tuam seriat vis inopina caput.*

Super his Caroli Quinti Imperatoris imago surgit lapidea cum hac inscriptione: D. Carolo Caes. v. Imperatori Max. S. A. P. L. vindici P. P. S. P. Q. Daventurien- sis monumentum hoc, defensionis ergo posuit anno MDX. LIII. posterius diligenter conservato. Inter opera publica palmam ceteris praeripit Noribergensis Turris quae annexa hujus nominis portae conspicitur, murum habet octodecim calceos crassum. Forma civitatis ovalis est, extra *Brinckpoort* autem parum se incurvat. Wilhelmus Stanlei proditione magna hanc civitatem tradidit Hispanis Anno 1587. in Januario. Princeps Mauritius Nassovius, eam illis denuo eripuit Anno 1591.

Regimen.

Civitatis regimen constat viginti quatuor viris, qui sunt Consules, Scabini & Senatus consultum. Hi singulis diebus conveniunt & de necessariis rebus consulant. Praeter hos numerantur adhuc nonaginta sex

virum totam plebem representantes, quorum congregatio quinque aut pluries necessitate urgente quotannis incidit. Haec duo collegia, audito in S. Petri Templo Dei verbo, juramentoque in loco solito, à se praeslito, quod nimirum in electione nemini additi recta via procedere velint, singulis annis novum eligunt Magistratum, siquidem viginti quatuor virorum administratio per annum solummodo durat. Quatuor vero Secretarii hujus Civitatis officium, quam diu vivunt, obeunt. Ante aliquot annos numerus iste nonagesimus sextus, in sexagesimum quartum primo & tandem in quadagesimum septimum mutatus est, praeterea vigesimus quartus etiam in decimum sextum diminuerunt Foederati Ordines. Ex ordinatione Transisalaniae Status illustrem scholam accepit, in qua Theologia cum Ebraica lingua & jus Civile docentur. Praeter hebdomadarias nundinationes, singulis annis quinq; ibidem celebrantur, quarum festum incidit in quadagesima S. Joannis, S. Iacobi, S. Lavini & S. Martini. Primarium templum D. Lebtino sacrum est, quod ad Occasum sibi adjunctum habet aliud fanum D. Mariae Virgini consecratum. Templum B. Nicolai editissimo totius civitatis loco, quo circa Montensem Ecclesiam vulgo *die Bergkerck* vocant, conspicitur. Adhaec quinque Canobus, Nosocomio item & Xenodochio ornatur. Publica Tabernam habet vulgo *VVeinhaus*, ubi cives suas lites componunt hesternas, & novas ex ebrietate constituunt, in valescente Baccho.

Adhaec civitas frequens civibus & universae Transisalaniae metropolis. Hic natus fuit Gerardus, cui ob raras virtutes cognomentum Magni est additum; scripsit autem complures libros idque docte admodum & nervose. Fuit etiam civis Daventricensis doctus & clarus Alexander Hegius magni nostri Erasmi Roterodami praceptor. Est item hinc oriundus Iacobus Daventrius, insignis plane Geographus, ut ex variis & pulcherrimis ejus operibus constat. Haec urbs non solum foedere Hansatico gaudet, sed etiam immunitate Romani Imperii. Hodie eam tenent adhuc ex beneficio superius allegato Hollandiae Ordines.

SWOLLA posita est ad ignobilem quendam amnem, qui aquas suas in Vidrum exonerat, distat Campis praegrandi duntaxat leuca est quae oppidum lautum, validum, duplici fossa circumdatum, aliisque propugnaculis adversus hostiles insultus communitum. Est libera Imperii civitas iisdem privilegiis obnoxia, quibus Daventria. Hanc Foederati Ordines Hollandiae quoque sibi vendicant.

CAMPÆ ad Lavam Isalae ripam adeoque ad ipsas fauces sunt posita, Daventria quinq; circiter leucis abjuncta. Civitas quidem momentosa, ampla & concinna, quae patricium habuit clarissimum Albertum Pigium, virum omni litteratura magnum, praesertim in Theologia eximium, Martini Lutheri antagonistam vehementissimum. Fuit idem cosmographus & insignis Mathematicae suppellectilis architectus, ob raras virtutes acceptissimus Hadriano & Clementi Pont. Max. à quibus ditatus opibus & honoribus in patriam tandem reversus est, ubi in publica omnium gratia aliquot adhuc annos vixit & vitam finivit summa cum gloria. Haec tres jam praedictae civitates ob magnum earum aestimum quo passim celebrabantur, urbibus Sacri Romani imperii anno Christi 1495. accensitae sunt, & privilegiis admodum luculentis supra alias urbes donatae.

Vollenhovia jacet ad lacum Flevis, Stenovicum duabus leucis abjuncta, oppidum valde lautum situmque admodum opportunum, ob annonam imprimis quae summa undique abundantia civibus supra alias urbes donatur.

n n